

Poetry - Lat. (Urb.)

CARMEN

DE CONFLICTU VERIS ET HIEMIS.

(Apud Oudinum de Script. eccl.)

Conveniunt subito cuncti de montibus altis
Pastores pecudum, vernali luce sub umbra,
Arboreas pariter lætas celebrare camenas.
Omnes hic cuculo laudes cantare parabant.
Ver quoque florifero succinctus stemmate venit,
Frigida venit Hiems, rigidis hirsuta capillis,
His certamen erat cuculi de carmine grande.
Ver prior allusit ternos modulamine versus :

VER.

Opto meus veniat cuculus, charissimus aies,
Omnibus iste solet fieri gratissimus hospes,
Intret is modulans, rutilo bona carmina rostro.
Tum glacialis Hiems respondit voce serena ;

HIEMS.

Non veniat cuculus, nigris sed dormiat antris ;
Iste famem secum semper portare suescit.

VER.

Opto meus veniat cuculus cum germine læto,
Frigora depellat, Phæbo comes almus in ævum ;
Phœbus amat cuculum, crescenti luce serena.

HIEMS.

Non veniat cuculus, generat qui forte labores,
Prælia congeminat, requiem disjungit amaram ;
Omnia disturbat : pelagi terræque laborant.

VER.

Quid tu, tarda Hiems, cuculo convicia cantas ?
Qui torpore gravi tenebrosis tectus in antris,
Post epulas Veneris, post stulti pocula Bacchi.

HIEMS.

Sunt mihi divitiæ, sunt et convivia læta,
Est requies dulcis, calidus est ignis in æde ;
Hæc cuculus nescit, sed perfidus ille laborat.

A

VER.

Ore refert flores cuculus, et mella ministrat,
Ædificatque domos, placidas et navigat undas,
Et generat soboles, lætos et vestiet agros.

HIEMS.

Hæc inimica mihi sunt, quæ tibi læta videntur :
Sed placet optatas gazas numerare paratas ;
Et gaudere cibis, simul et requiescere semper.

VER.

Quis tibi, tarda Hiems, semper dormire parata,
Divitias cumulat, gazas, vel congregat ullas :
Si ver aut æstas tibi nulla, vel ante laborat ?

HIEMS.

Vera refers, illi nunquam mihi multa laborant ;

B Sunt etiam servi, nostra ditioe subacti,
Jam mihi servantes domino quæcunque laborant.

Non illis dominus, sed pauper inopsque superbus,
Nec te jam poteris per te tu pascere tantum,
Ni tibi quis veniat cuculus, alimonia præstet.
Tunc respondit ovans, sublimi a sede Palæmon.

PALEMÓN

Et Daphnis pariter, pastorum et turba piorum :
Desine plura, Hiems, rerum tu prodigus atrox ;
Et veniat cuculus, pastorum dulcis amicus ;
Collibus in nostris erumpant germina læta ;
Pascua sit pecori, requies et dulcis in arvis ;
Et virides rami præstent umbracula fessis.

C Überibus plenis veniantque ad mulctræ capellæ ;
Et volucres varia Phœbum sub voce saluent.
Quapropter citius cuculus nunc ecce venito,
Tum jam dulcis amor, cunctis gratissimus hospes.
Omnia te exspectant, pelagi tellusque salutant :
Salve, dulce decus cuculus, per sæcula salve.

EPITAPHIUM PIPPINI ET DROGONIS

*Caroli Calvi filiorum, qui, Miloni ad erudiendum commisi, ipso pueritiæ tempore
diem clausurunt.*

(Apud Mabill. Acta SS. ord. Bened., sect. iv.)

Quisque videns nostras solerti corde figuras,
Perspice quam subito defluat orbis honos.
Rege sati fuimus, nomen qui nomine duxit
De Magni Magnus, de Karoli Karolus.
Nec licuit totum vitæ complectier annum,
Sed rapuit nostras debita mors animas.

D Si genitor nostram dignaris visere tumbam,
Rex nostros obitus ne doleas petimus.
Terris sublatis, placida regione locati,
Cum sanctis requie perpetua fruimur.
Vos nostri memores felices este parentes.
Hoc Pippinus ego posco, simulque Drogo.